

eo quod iam secundo post ipsos gradus continuum secarent in partes subtiliores, nec à tali sexagenaria cessabant diuisione, donec quodcunque secundum in 60. tertia, ac tertium quodlibet in 60. quarta, sic quartum in 60. quinta, quintumque in 60. sexta, atque sexta singula in 60. septima, septimum etiam quodlibet subdiviserunt in 60. octava, & sic in infinitum & usque in partes adeo minimas, quod oculus aspicientis penè iudicaret puncta indivisibilia, & hoc ideo quatenus haberi possit determinatissimus punctus prædicti zodiaci, atque ostendi sub quo centraliter sit quilibet planetarum tempore quocunque. Prædictæ etiã partes post gradus minutiarum dictæ sunt, secundum numerorum processum naturalium ab unitate incipientium, quæ primæ fractioni, hoc est, minutis accommodabitur. Secundæ uero fractioni, scilicet secundis, dualitas. Ternarius uero fractioni tertiæ, hoc est, tertijs: Quaternarius autem quartis, & sic in infinitum, secundum quod talis quantitas apta est diuidi in infinitum. Hac itaque diuisione minutiarum numerus in infinitum partes continui auget discrete, quas secundum quantitatem continuam diminuit integrorum puta signorum & graduum semper manente finita. Non aliter & ipsum tempus computandum erit, isto duntaxat adiecto, quod in tempore horæ sunt integræ, quemadmodum gradus in motu. Quicquid autem erit ante illas, sunt dies, ante quos accipi quandoque contingit menses, quandoque uero sine his similiter annos. Hæc de numeratione tam motus quam temporis ad præsens sufficiant.

### De Additione,

**S**i itaque numeros plures, siue diuersæ denominationis fuerint, siue eiusdem sibi inuicem addere uolueris, scribe prius utrunque, tam illum cui debet fieri additio, quam addendum distincte unamquamque denominationem sub genere suo, signorum scilicet numerum sub signis, graduum sub gradibus, minorum sub minoris, secundorum sub secundis, tertiorum sub tertijs, quartorum sub quartis. Sic omnes numeratores eiusdem denominationis sibi inuicem subscribantur, scilicet prima figura addendi sub prima illius, cui additio fieri habet: secunda sub secunda &c. quibus sic stantibus, incipe operari à dextris uersus sinistram procedendo, ut integrorum iubet ars, addeque primam ordinis inferioris primæ superioris, uel ergo ex tali additione unius ad aliam excreuit digitus uel articulus, aut numerus compositus. Si primum loco superioris deletæ, scribatur digitus ex crescentiæ: Si secundum loco superioris deletæ, scribatur cyfra, & sinistretur articulus, iungaturque proximo sequenti. Si numerus compositus loco superioris, ut prius deleti, scribatur digitus qui est pars illius compositi, & sinistretur articulus ut supra. Quo facto ad secundum figurarum ordinem eiusdem denominationis procedatur, sub quo eandem formam repete operationis qua sub primo ordine figurarum usus es. Hoc unico obseruato, quod quotiescunque ex additione figurarum eiusdem ordinis secundi, senarium cummulaueris, qui semper sexaginta ratione sui ordinis repræsentat, eo deletæ  
10 loco